

VIT EAM
HELI
TEMV-
LENTAM.

qui cum diuino spiritu afflatus in voces erum-
perent omnium genera linguarum experimen-
tes, ebrii à Iudæis crediti sunt & appellati,
Petro respondente, cum esset hora diei ter-
tia neutiquam mero madere: sed caelesti a-
qua, quam Deus per Ioëlem olim esset pol-
licitus, perpuratos ac delibutos, à diuinis
laudibus temperare non posse. Propterea
igitur etiam ille non omnino temerè, cum
vultum rubore suffulsum cerneret: nam &
cithron ab effectu, id est rubrum, & æ-
thopa, id est vultum seu faciem inflammans,
vinum Homerus nuncupauit: & motu la-
biorum loquendi morem imitari, nec sermo-
nem proferre; ignoraret autem præterea in-
testinum dolorem, nec vllum haberet de il-
lius sanctitate testimonium, genio illam in-
dulsisse arbitratus est. Quamquam nec deest
alia occasio, quæ huic suspitioni ansam præ-
buisse videatur, nimirum, vt ait sanctus Chry-
sostomus, diei tempus epulis consecratum:
erat enim meridies quum precaretur illa. Vn-
de hoc liquet? Ex his quæ locum hunc præ-
cedunt. *Surrexerit, inquit, Anna, postquam il-
li comederant & biberant in Silo. Solebat au-
tem non rarò accidere (ait Vermilius) vt in
illis festis conuiuus homines plufculum ad bi-
bendum se inuitarent, quod Paulus in pri-
mæ ad Corinth. decimo grauitur taxat: A-
lius, inquit, esurit, alius autem ebrius est.* Et
Philo libro de Plantatione Noë satis aper-
tè explicat, cuius pauca verba referam. Per-
actis enim votis, ait, & sacrificiis placato nu-
mine, post purificationem corporum & ani-
marum, aquis abluti, & imbuti sacrarum le-
gum cognitione, hilares & læti ad remis-
sionem victum se vertebant, sæpè ne domum
quidem repetentes, sed in templis, vbi sa-
cra fecerant, permanentes; vt & sacrificij
memores, & locum reueriti, sacrosanctum
reuera celebrarent conuiuium, nec verbo,
nec factò vllò peccantes. Ex hoc more na-
tam aiunt vocem *μεθύειν*, quasi *μετά τὸ θῆεν*:
quia post sacra demum præsci indulgebant
poculis. Hæc Philo, qui iterum. Sunt qui
putant, inquit, huic rei non ideo tantum da-
tum istud nomen, quia soleat sequi post sa-
cra, sed *ἀπὸ τῆς μεθύειν*, id est à remissione
animi. Relaxatur autem insipientium ratio
ad peccandum licentiùs: rectè sapientium
verò ad fruendum tranquillitate, hilaritatè-
que. Fit enim vir sapiens vino maceratus,
seipso suauior. Huc accedit quod sapientia
non est res dura aut teretica, deuincta cogita-
tionibus tristibus, sed perpetua tranquilli-
tate hilaris, plena gaudio lætitiæque: vnde sæ-
pè prorumpit in non insulso lusum, & dide-
ria, coniuncta tamen cum grauitate seria:
quemadmodum in benè temperata lyra con-
trarij soni in vnam melodiam consonant.
Certè iuxta sacri Mosis opinionem sapien-
tiæ finis lusum & risus est, non iste quo pue-
ri ac infantes delectantur: sed quo homi-
nes cani, qui non tam consenserunt tem-
pore quam bonis consiliis. In cuius rei fi-

Philo.
Huiusmodi
potuit ebria-
tatis suspi-
cio.

Sapientem
animi lasi-
via decet cū
patientia.

I.

dem affert quod Isaac, risus dictus, ludens
referatur cum Rebecca, id est tolerantia,
quem vidit Rex, non quiuus plebeius, Abi-
melech per fenestram, per apertum & luci-
ferum mentis oculum. Ex quo concludit,
nullum magis negotium sapientem decere,
quam ludere, gaudere, hilarescere cum hone-
sta tolerantia. Hæc omnia Philo libro de
Plantatione Noë: qui mihi videtur huius-
cemodi vinosam & temulentam incundita-
tem de Platonis potius, quam Mosis fon-
tibus hausisse. Etenim tantum abest, vt Bac-
chicam illam lasciuam ac petulantiam in sa-
cris epulis Moses probauerit, vt etiam in sa-
crificantibus vini vsum damnauerit. At Pla-
to non item: qui tamen, vt tuetur Agellius
libro decimoquinto, capite secundo, ebrieta-
tem istam turpissimam, quæ labefacere &
minuere hominum mentes solet, non lauda-
rit, largiorem tamen, pauloque incudio-
rem, vt Philo, vini inuitationem, quæ fieret
sub quibusdam quasi arbitris & magistris con-
uiuiorum sobriis non improbauit. Censuit e-
nim vini ardorem, si copiosius aliquanto ad-
hiberetur, fomitem quandam ingenij ac vir-
tutis incitabulum esse, & calefacto simul re-
fotòque animo, si quid in eo vel frigida tri-
stitiæ, vel torpentis verecundiæ esset, di-
lui posse. Quod si tum Israëlitis publicè per-
suasum fuit, cum Eleana immolare, mirum
videri desinet, si Heli mulierem è conuiuio
reuertentem ebrietatis insimularit, non mo-
dò illius, cui cum sapientia Plato Philòque
conuenire volunt, verumetiam alterius quæ
sapientiam expugnat, & amentiam indu-
cit. Difficillimum est enim eum modum com-
potationi statuere, vt mero quidem præsen-
tes incalescant, & soluantur in risum, & non
aliquanto post vini vi ac potentia se am-
plius diffundente, non modò caput titu-
bet, verumetiam ratio nutet. Verum et si car-
nalis populus ventri & gulæ plurimum tri-
bueret, & suas voluptates sensibus corpo-
ris metiretur: puto tamen, qui præ cæteris
inter eos pietate ac sapientia excelleret, id
semper Deo gratissimum esse arbitratos,
quod ab iis, qui suo cultui addictissimi essent
religiòse obseruari animaduertent. Illi au-
tem erant præcipue sacerdotes ac Nazaræi,
quibus vinum gustasse nefas erat. Vn-
de illos quoque velut in exemplum proposi-
tos, reliquos, qui sanctitati studerent, se-
ctatos esse arbitror: Et, si quidem non vi-
num prorsus à suis mensis arcerent, saltem
moderatiùs vsos, cum sacras epulas cele-
brarent. Non inficior tamen ex his, quæ à
Philone dicta sunt, argui posse, plures ex Is-
raëlitis diem festum lusibus ac compotatio-
nibus agitare consueuisse, quæ causâ fuerit,
cur Heli Annam alieno tempore, & modo
ad tabernaculi fores orantem, vino se se in-
gurgitasse falsò crederit. Accedebat præter-
ea, quod vino deditum esse mulierum genus,
antiquitas credit. Vnde est illud Axionici-
a Athenæum.

Agellius,

Plato l. r. &
2. de leg.

Philonis
narrationè
non vique-
quaque ve-
ram videtur.

Athenæus
lib. 10. di-
pno. c. 11.

I